

propria sunt heterodoxorum & hæreticorum doctrinæ, tantum abest, ut ad Deum referri possint, ut potius patri omnium mendaciorum diabolo sint adscribenda, & proinde nullam prorsus fidem mereantur. Forma vero non solum humana est, verum etiam à vera verbi divini regula abiens, adhibito ut plurimum stylo, qui (sunt nervosa *Dn. Presidis verba l. c. p. 23.*) ad fingendum pingendumque iniquitatis mysterium est idoneus. Tandem tamen eundem cum orthodoxis obtinent finem. Non enim inficiamur, quod, uti hæc orthodoxorum fidei dicuntur symbola, sic quoque heterodoxa suorum defensorum signa atque symbola sunt.

§. VII. Altera Librorum Symbolicorum divisio est ratione quantitatis, & dividuntur secundum hanc prorsus iterum ad modum Ecclesiæ, in universalia & particularia, vid. *l. proxime cit. p. 25.* Universalia sunt talia, vel in gradu majori, quæ ab universali Ecclesia Catholica sunt recepta, ut symbola œcumenica, Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum. Quæ tria in hunc ipsum finem nostris Libris Symbolicis sunt præfixa, ut demonstraretur conformitas fidei nostræ cum fide antiqua Catholica, à qua nos recessisse adversarii passim clamitaverant. His addi etiam possunt Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, cum & hæc semper ab Ecclesia Catholica recepta fuerint. Universalia autem in gradu minori sunt, quæ ab universa aliqua Ecclesia particulari recepta sunt, quale est apud nos Augustana Confessio, apud Pontificios Concilium Tridentinum &c. hoc enim totam Ecclesiam Romano Catholicam, illa autem universam Ecclesiam orthodoxam obligat. Particularia denique sunt, quæ unam partem Ecclesiæ particularis devinciunt: talia sunt in Saxonis